

140

D E O D U C E
M E D I T A T I O S. E P I S T O L A
D O M I N I C A E II.

POST TRINITATIS.

Additis S. Patrum dictis Quæstionumq; aliquot decisione, ad uberiorem textūs cum opus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M

In Regia Åboënsi Academia,

P R A E S I D E

DN. Ä S C H I L L O P E T R Ä O, S.S.,
Theolog. Doct: & Episcopo Åboënsi,

*Examini subiicit in Auditorio Majori, horis solitis
Ad diem 19. Novemb. Anni 1656.*

J OHANNES A. FABRICIUS FINL.

Lyra in hunc locum.

*Non miror si amator mundi fratrem odit, separatum ab amore mundi,
Et cœlestibus intentum desiderijs. Religio peccatori est abominatio.*

Idem in locum hunc.

Si vel ex temporis oportunitate : vel ex humana infirmitate, non contigerit animas ponere : debemus saltē res nostras pro fratribus depōnere.

A B O E

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

140.

Nobilissimæ & Generosiss, Dn. CHRISTINÆ Horns est
Præfecto Aulæ & Servitori fidelissimo;

Viro Nobili & Prudentissimo,

DN. WILHELMO Gordani

Promotori benefactori q; meo plurimum colen-
do & honorando,

U T E T

Reverendis, Humanissimis & Doctissimis Viris,

DN. JOHANNI AMBROSII, Pelchenensi Pa-
storî vigilant: Fautorî & benefactori indefinenter colendo;

DN. ABRAHAMO JOSEPHI, Pastorî in Tyr-
wâs fidelissimo, Affini meo honoratissimo,

DN. BERNHARDO RIGERDI MUNSTERO,
Dicasterij Regij Magni Ducatus Finnici Logistæ solere-
tissimo, Benefactori honorando.

N E C N O N

Dn. ABRAHAMO A. FABRICIO V.D. in Tyrwâs
Comministro, Fratri meo
dilectissimo,

Dn. IOHANNI M.
Brühlöff Loimaensis Eccle-
siæ comministro, Benefactori & Auunculo meo dilectori

Dominis Promotoribus, Fautoribus & Benefactoribus
æternum suspiciendis, meditationem hanc
Sacram, Reverenter officiose ac humiliter
offerro & inscribo,

Johannes A. Fabricius
Respondens.



MEDITATIO S. EPISTOLÆ DOMINICÆ II. POST TRINITATIS.

In Sanctæ & summe laudande Trinitatis Patris Filii, & Spiritus
Sancti nomine.

Ehova Deus meus es, exaltabo te, celebrabo nomen tuum, quia fecisti mirum: Consilia à longinquo tempore prædicta fides sunt, veritas. Nam disposuisti ex civitate aceruum, ex urbe munita ruinam: palatum extraneorum ex civitate, in seculum non ædificabitur. Idcirco honorabunt te populus fortis, urbs gentium formidabilium reverebuntur te; Quod fueris munitio tenui, munitio egentii, quem aliquis angustia esset ei, receptus ab inundatione, umbra ab astu, quem spiritus violentorum similis esse inundationi labefacturæ murum: Sicut aestum in siccitate, tumultuationem extraneorū depresso, aestum in quam umbrâ densa, qui propagini violentorum respondebat. Esa, 25, v. 1. 2. 3. 4. 5. Instituit in his verbis Propheta Esajas ad Deum gratiarū actionem, propterea quod faciat mirabilia, Dei propositum sit ab antiquo fidele & verū. Destruit, inquit, quasdam, civitates instar cumuloruū lapidū civitatem munitam demolitur Deus, ut in uno omnia confusè jaceant, interdum tñ. adeò devastantur civitates ut nun quare ædificantur. Ex hac Dei mirabili potentia multi ex-

citentur ad venerandum & colendum Deum. Intelligant quando Deus infirmorum sit fortitudo & refugium adversus tempestates, umbraculum adversus calorem & æstum. Tales superbos Deus improæmeditatè & opinione celerius cladibus afficit & de throno deturbat ut discant humilitè de se sentire & manum ori admovere. Interim dicit Propheta mensuram Ecclesiam, habitram suum umbraculum, quam vis omnia sursum deorsumq; ibunt. Fons Dei manebit in pace ut liceat inde sicut levare. Pij tanedm ita omnia vincent ut triumphos canant. Id etiam in hoc textu docetur.

Oremus Deum ut hanc Epistolam ita meditari queamus ut cedat in nominis divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinae & bonorum operum, in spem & fiduciam & tandem in æternam beatitudinem. Dicamus igitur: Pater noster &c.

TEXTUS i. Joh. 3.

IN recitato Textu instituit S. Johannes insig-
gnem ad auditores suos adhortationem, ne admiren-
tur ut rem novam & inusitatam, si mundus odio eos ha-
beat. Deinde consolatur se & eos, quod habeant illam
salutarem cognitionem plenè & perfectè, quod simus
translati de morte ad vitam. Quia diligimus fratres.
Postea sententiam dicit in eos, qui non diligunt frarres,
quod maneant in morte. Quisquis etiam odio habet
fratrem suum, homicida est. Quilibet v. homicida non
habet vitam in se manentem æternam. Indicatur etiam
unde Dei charitatem erga nos potissimum æstimare li-
ceat, vñ inde cum primis quod Christus vitam suam po-
suit pro nobis. Hinc infert, ergo & nos ponamus vi-
tam pro fratribus. Loquitur etiam de facultatibus hu-
jus mundi, quod illos habens & non erogans in egenos
&

& in necessitate constitutos, sed concludit cor suum, quomodo. inquit, manet charitas Dei in eo? Concludit textum repetitione admonitionis ad dilectionem proximi, non modò verbis sed etiam opere & veritate. Confirmatur articulus de Ecceia, quod verè sit cætus aliquis in mundo Deum colens, piè vivens, & propterea persecutionem patitur ab impijs. Admonemur tamen secundæ tabulae de proximi dilectione & præsertim præcepti quinti & septimi.

P A R T E S.

1. *De dilectione proximi quoad intrinsecam benevolentiam, misericordiam & condolentiam cum illo.*
2. *De dilectione proximi quoad rem ipsam & facultatum in illius usum erogationem.*

Atq; hæ sunt istæ partes quas hac vice breviter & simpliciter tractare constituimus: Omnipotens & æternus Deus, pater noster caelstis dilectissimus nobis omnibus benedicat, cunctaq; utiliter & fructuosè cedere faciat.

P R I M A P A R S

In qua meditamur:

I. Admiracionis & Odij

mundi contra pios prohibitionem. Ne miremini, inquit S. Johannes, fratres quod odio habeat vos mundus. Mundus hic significat partem illorum hominum, quæ non dum amplexa Erangelij doctrinam, manet in Ethnicismo vel Judaismo, persequitur Christum & omnes qui in eum credunt. Hoc faciunt inquit Christus, quia non noverunt me, neq; patrem meum, excluserunt vos à Synagogis, occident vos, & videntur sibi præstare

stare Deo gratum obsequium. Joh. 16. Odium mundi vel impiorum contra verè pios & fideles, mox exarbitur in paradiſo. Diabolus jam lapsus in videbat felicitati hominum jam adhuc in sua integritate stantium, & eos decepit ad comedendum de arbore vetita. Cain cecepit mox esse perversus & à vero Dei cultu alienus, nec fratrem Abelem justum patiebatur servire Deo, quare abstractum à societate & conversatione parentum illum nefandum in modum trucidavit, & inter homines primus fraticida exitit. In familia Abrahami duo erant filij, unus Iſmael & alter Iſaac; Iſmael persequebatur Iſaacum. In familia Iſaaci erant Eſau & Jacob, Eſau vi & persecutione fratrem Jacobum subvertere nititur. Mundus itaq; illos omnes hic significat, qui Christum non recipiunt, sed persequuntur omnes qui in Christum credunt, sicut Saulus Act: 9. non solum Jerusalymis sed etiam Damasci persecutionem Christianorum instituere in animo habuit. Donec tandem in itinere Damascum versus admoneretur à Christo his verbis: Saul, Saul quid me persequeris? durum est tibi contra stimulos calcitrare, & mox Saulus timens respondit: quid vis Domine ut faciam? Et dictum ei quid faceret, ut sineret se ab Anania baptizari, & fieret ita electum Christi organum ad prædicandum Evangelium pro gentibus & Judeis, quod etiam factum. Quare verè hæc hominum pars, quæ Christo se opponit & adversatur Christianis, vocatur mundus, hæc est ratio, quod mala illa pars, partem meliorem suā multitudine vincat, & partem mundi maiorem possideat, Pij v. sunt gressus pusillus, ne timeas, inquit Christus, pusille gressus, quoniam patri placuit dare vobis regnum, Lue. 12. Diabolus dicitur princeps mundi, quia magnam habet catarvam

terram sibi adhaerentem. Hic mundus nondum ag Christum conversus, odit Christum, odit & persequitur Christianos homines in Christum credentes & constanter ei usq; ad mortem militantes. Hos mundus ferre non potest, de medio eos tollere cupit, clamat: tolle crucifige, sicut Judæi impij contra Christum clamitabant, in hoc mundo cum his hominibus vivere pios oportet interdum familiarius quam vellent, horum audiunt blasphemias & contumelias, horum sentiunt impugnationes & persecutions. Quid hic agendum? Respondet Apostolus: ne miremini fratres, si odio vos habeat mundus; ferte mansuetè & tolerate leni spiritu, non usq; adeo miremini, siquidem non estis de illorum numero, idcirco vos odio habet, quod si essetis de numero illorum, utiq; diligenter vos, mundus enim diligit suos.

L. C. Hæc admodum necessaria est admonitio, valde tædiosum & molestum est cum perversis hominibus habitare, cum alterius religionis hominibus, cum blasphemis & contentiosis degere. De quo etiam David conqueritur Psal. 120. Sed ne miremur hoc illorum odium, spem nostram in Dominum coniijciamus Psal. 121. Psal. 27. ad v. 7. Psal. 37. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

II. Fraternam auditorum compellationem. Nominat Apostolus auditores suos, etiam in hoc textu, fratres ut suam erga eos benevolentiam ostendat, eosq; ad similem erga se perpetrata favorem, ita sanctorum est mos, ut non offendant Ecclesiam duriusculis verbis, ubi mitioribus esse possit locus.

L. C. Non male pij verbi ministri etiam bonis &

& amicis verbis alloquuntur auditores, quotiescumq; id facere licitum, & cum auditorum boni mores, non aliud postulant. Christus savissime suos auditores simplices & præsertim tristes & sollicitos alloquiutus est. Longissimè a. abest hæc sermonis in Ecclesia sua vitas ab adulacione, quâ aura popularis & utilitas quædam privata attenditur. Ministris verbi insignem subministrat Syrach admonitionem, quomodo cum gratia auditoribus præesse queant in officio docendi. Syrac. cap. 39. v. 1. usq; ad finem. Optat Moses ita se posse concionari coram suo populo, ut omnia verba grata sint & probè percipliantur & recondantur in corde bono, & faciant operatum fructum. Deut. 32. v. 1. 2. 3.

III. Argumentorum svadentium dilectionem proximi congeriem.

Primum argumentum ad persvadendum Christianis dilectionem est, quod nos ex mera charitate Christi translatis sumus a morte ad vitam. Dilectio fratrum non transfert nos à morte ad vitam, solius n. Christi hoc est officium, ille est propitiatio pro peccatis nostris nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi peccatis 1. Joh. 2. v. 12. ille est agnus Dei tollens peccata mundi. Loquitur n. Apostolus ita de dilectione quasi adscriberet ei redemptionis opus, verùm sensus est: Quod licet redempti sumus per Christum, tamen illa redemptio nobis non utilis est, nisi diligamus etiam nos invicem & imitemur quoq; Christum in hac dilectione, quantum possumus diligendo fratres, pro quibus etiam Christus æquè ac pro nobis passus est. Prodest itaq; nobis passio Christi & translatio de morte ad vitam, dum diligimus fratres. Intelligitur a. hic liberatio non à morte corporali, à qua

à quo liberati non sumus, sed tantum à morte æternâ;
& hæc liberatio summâ gratitudine amplectenda & vene-
randa. Reliqua argumenta quæ hic ab Apostolo ad-
ducuntur, in Epistola alia, non ita pridem habuimus, i^g
deoq; illa etiam jam omittamus in ex plicatione.

L. G. 1. Consolatio insignis in his verbis S. Jo-
hannis: translati sumus à morte ad vitam, liberati ab æ-
terna morte, collocati in sortem sanctorum in lumine.
Quām mutationem à malo in bonum egregiè depingit
Apostolus: Ephes. 1. v. 3. ad 13. Lætabundus canit de
hac exaltatione nostra S. Zacharias. Luc. 1. v. 68, 69, 70
ad v. 76.

L. C. 2. Odium proximi vel non diligere eum
est mortale peccatum. Odio habens fratrem est homicida
homicida v. exclusus est à vita æterna. Est n. præceptum
non occides. Habet homicida hanc vitam tempora-
lem timore & tremore, sicut Cain, verum æternâ vitâ
privatus est. Matth. 21. Perdantur homicidæ, injustis
& homicidis lex posita. 1. Tim. 1. Foris sunt canes, homi-
cidæ. Apoc. 22. Opus carnis homicidium, Gal. 5. Diligenter itaq; odium proximi cavendum: oramus Deum
ut extingvat in nobis omnem rancorem & acerbitatem,
odium est possessio mala, Deo ingrata diabolo placens,
cor nostrum excædens & arroden^s, hilaritatem nostram
inquietam reddens & pessimè perturbans, omnes actio-
nes nostras ferè vitians, præsertim in sublimioribus of-
ficijs. Dicamus cum Psalmista, Psal. 139. v. 1. 2. 3. 4. 5.
& v. 23. 24. Licet interdum & quosdam odiisse. Eccle-
siastici. 3. tempus odij & dilectionis. Verum opus est
directione Spiritus S. ut rectè odiisse quæamus, sicut et-
iam diligere ut oporteat, divina sapientia hic suos opti-
mè informabit.

L. C. 3. Detestabile peccatum homicidium, qui arecludit hominem ab æterna vita, Quid itaq; prodest alij s eripere vitam ut vivas ad paucos annos & quidem in consternatione trepidatione & mala conscientia accusante & sanguine effuso clamante. Oramus diligenter ex Psal. 51. v. 12. 13. 14. 15. 16. Proni simus ad reconciliationem cum proximo, ne occidat Sol super ira nostra, Si irascamur videndum ne adhuc per iram peccemus. Ira viri non facit quod bonum est coram Domino.

L. C. 4. Videmus legis vigorem etiam in hoc, quod non solum prohibeat odium aduersus proximum, & illud homicidium appellat, sed etiam exigit lex ut diligam proximum non sufficit dicere nec diligo te, nec odio habeo te Qui, inquit S. Johannes, non diligit fratrem, manet in morte. Hic itaq; clamandum: quis me liberabit ex hoc corpore mortis. Domine ne intres in judicium nobiscum. Domine propitius esto mihi peccatori. In multis labimur omnes. Miserere mei Domine, secundum magnam misericordiam tuam. Psal. 51.

SECUNDA PARS

In prima parte vidimus Apostoli adhortationem ad charitatis & dilectionis effectum erga proximum in hac

in hac altera parte itidem videndum, quomodo ad declarationem amoris per opera hortatur Apostolus

In qua meditamur:

I. Mortis Christi pro nobis

repetitionem. Sæpè Apostolus hoc urget, quod Christus ita nos dilexerit, ut seipsum pro nobis tradiderit. In hoc, inquit S. Johannes, charitatem veram discimus, vt cum meditamur Christi mortem ex sola generis humani charitate. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam.

L. C. Exemplo Apostoli crebro recognoscimus Christi Salvatoris nostri mortem & passionem. Ita non solum confirmabitur fides nostra de remissione nostrorum peccatorum propter sanguinem Christi. Sangvis n. Domini nostri Jesu Christi emendat nos ab omnibus peccatis. Turbabor, inquit Bernhardus, sed perturbabor qui vulnerum Christi recordabor non solum inquam per passionis Christi meditationem fides confirmatur de remissione peccatorum, salutem & vita æterna, siquidem ubi remissio peccatorum est, illic est & salus & vita æterna, sed etiam roboratur caritas nostra

erga proximum considerantibus insignem
Christi amorem etiam pro inimicis suis, qua-
les nos per peccatum eramus, ut Paulus scribit
Ephes. 2. v. 1, ad v. 10. Sæpius etiam utamur S.
cæna, ut virtute corporis & sanguinis Christi
renovemur in corde nostro & expur-
getur fermentum odij & excitetur flammula
dilectionis.

II. Modum diligendi proxim
um, non solum verbis & lingua sed opere
& veritate. Dicit Apostolus veram dilectionem
quoad opus in hoc consistere ut ponamus vi-
tam nostram pro fratribus nostris, hoc est, si-
mus parati pro gloria Dei, Ecclesiæ salute &
fratrum commodis derivare in nos aliqua pe-
ricula & incommoda, sicuti hoc faciunt pij
Magistratus pro suis subditis, fideles verbi mi-
nistri pro suis auditoribus. Alij etiam pij varia
sustinuerunt pro alterius levando incommo-
do. Alterius onera etiam portanda.

L. C. Orandum Deus, ut ne timore in ali-
quo casu desinamus fratribus nostris in pericu-
lis constitutis. sed ut infracto animo faciamus,
quod fraterna charitas exigit, ita tamen ne ali-
qua temeritas nos fallat. Quod si quæamus
salvare proximum & nos, itaq: nulla via possi-
bilis

bilis non aggredienda. Orandum fideliter ut
Deus nos regat, det mentem in quolibet casu
sanam & interpidam, ne quid quod non deceat
committamus, nevē quid quod justum fuisset,
omittamus, unctio nos doceat in omnibus. vi-
demus n. hic non levit̄ diligendum prox-
imum, sed etiam ut non gravamur pati pro eo
& ejus commodo aliquod incommodum. Mo-
ses magnam curam habuit suorum Israēlita-
rum Exod. 32. v. 32. Ionatan sui Davidis 1. Sam.
19. v. 5, Davidis suorum 2. Sam. 24. v. 17. Paulus
magnam curam exigit suorum judæorum &
eorum æternæ salutis. Rom. 9. v. 1. 2. Cor. 12. v. 15.

III. Modum diligendi pro-
ximum facultatum communicatione. Qui ha-
bet, inquit Apostolus, hujus mundi bona, &
claudit cor suum videns fratrem in necessitate
constitutum, quomodo manet in eo charitas
Dei, q. d. non dedit Deus homini omnia illa bo-
na & divitias, quas possidet, ut solus illis fruatur,
sed ut sit custos bonorum & eroget & distri-
buat cum videt egentes cum audit de nocte
pulsantes januam petere panes mutuo vel
gratis, hic itaq; non dimittendus in necessita-
te constitutus frater, non claudenda janua

cordis sed erogandum & dandum indigenti,
maneat Dei charitas in nobis.

L. C. Discimus liberalitatem erga pau-
peres, non ducamus grave dare & commu-
nicare quod Deus nobis impertivit. Date
& dabitur vobis. **Luc. 6.** Laudat Psalmista
liberalem hominem & ei prospera eventura
prædixit. **Psal. 112.** per totum.

Clementissime Deus pater cœlestis , quia
tantopere refert ut fratres nostros diliga-
mus, qui fratrem non diligit in morte ma-
net & homicida judicatur non habens in se
vitam æternam. Da nobis gratiam ut vera
charitate proximum complecti quæamus
opere & veritate. Per & propter filium
tuum Dominum J E S U M C H R I S T U M ,
qui tecum & Spiritu Sancto vivit & regnat
in sempiterna secula. Amen.

Benedictio & claritas & sapientia & gra-
tiarum actio & honor & virtus & forti-
tudo D E O nostro in secula seculorum, Amen.

Apopcal. 7: 12.

Quæ-

QUÆSTIONES

M. cib. R. i. f. I. C. i. o. i. B. lib.

An homo per charitatem possit se liberare à morte? R.

Cum dicit Apostolus ex dilectione cognosci, quod transierimus in vitam, non significat hominem suum esse liberatorem, quasi fratres diligendo, à morte se eripiat, sibiq; vitam comapret (neque enim hic de salutis causa disputat) sed cum charitas præcipuus sit fructus Spiritus (Gal. 5.) certum quoque est regenerationis Symbolum. Proinde à signo ratiocinatur Apostolus, non autem à causa. Nam quia nemo syncerè fratres diligit, nisi qui spiritu D E I regenitus, est, hinc certo colligitur spiritum Dei qui vita est, in omnibus habitare qui fratres diligunt. Sed præpostetē inde quispiam inferret charitate vitam acquiri cum sit charitas ordine posterior.

II.

An S. Johannes exigat à no-

nobis dilectionem æqualem dilectioni Christi ? Resp. N.

Sed ita vult compositos esse nostros affectus, ut vitam simul & mortem cupiamus primum DEO tum etiam proximis impendere. Nostra itaq; commoda negligenda sunt, ut fratrum salutem tueamur. Moses vult deleri de libro vitæ, nisi Hæbræis remittatur idolatriæ peccatum, Exod, 32. v. 32. Paulus optat anathema esse pro fratribus suis, modo illi ad salutem perveniant, Rom. 9. v. 3. vide etiam 2. Cor. 12. v. 15. Est tamen & alterum inter nos & Christum discrimen, quod non eadem mortis nostræ virtus esse potest Neq; n, sanguine nostro placatur ira Dei nec morte vita acquiritur, nec debita alijs pœna persolvitur. Sed Apostolus in hac comparatione qualis fuerit vel finis & effectus mortis Christi, non spectavit. Sed tantum vitam nostram formari voluit ad ejus exemplum Notandum hic obiter animam usurpari pro vita, veluti alias sæpe.

